

omittimus, fieri non posse dicimus, ut annorum numerum, qui condito ab orbe lapsi sunt, certo, ac sine errore, vel saltem dubitatione statuamus. Proinde conjectura, & probabili ratiocinatione opus est. qua si contentus esset Scaliger, neque aut opinionem suam certissime scientia, demonstrationisque loco proposuisset: aut reliquos omnes calculos tam fidenter, & acerbe damnasset, tolerandus utique fuisset. Nunc ejus & ancipiti in re odiosa fiducia est; & putatio ipsa minus exacta. Quod postea per singula capita declarabitur. Nos vero primum illud tenentes, nihil certi de accurata annorum summa peruestigari posse: quod reliquum est, verisimilem, ut quidem nobis visa est, rationem inibimus.

Quocirca annos ab orbe condito ad aram Dionysianam fluxisse credimus 3983. Quam opinionem nostram alteri quoque ante nos in mentem venisse postea comperimus. Munsterus enim in Computo Hebraeorum, pag. 7. cum varias de mundi conditu sententias percerisset, Carolum quendam Boëllium ait annos numerare 3984. Intervals porro ita describimus. Ab orbis initio ad Diluuium anni 1056. A Diluuium ad Abraam ortum 292. Hinc ad Israelitarum migrationem ex Aegypto, anni 505. sunt ab orbe condito ad Exodum anni 2453. Deinceps ab Exodo Salomonici Templi fabricationem, annos numeramus 520. ubi communi ab sententia necessario discedimus. A conditu Templi usque ad laxatam Babylonicam servitutem, anni 474. Hinc ad Christum, 536. Fiunt ab orbe condito ad Christi Natalem, anni completi 3983. cum mensibus tribus: ita ut Natalis in 3984. incurrat, si annorum caput ab Autumno repetatur. Hanc nobis summam, & singulorum intervallorum putationem certis argumentis persuasimus quae sparium, ac suis locis explicabuntur. Neque vero opinioni isti penitus confidimus; aut libertati cuiusquam detractum volumus, quo minus aliter sentire ipse, ac pronuciare possit. Quibus de causis tutiorem illam Chronologiam, & liquidiorem esse duco, quae ad annos mundi, si quidem praeterire nosit, Julianae Periodi annos adjungit. Quae cum ex triplici caractere methodi gratia contexta sit, annos singulos propriis quibusdam notis ac signis afficit, qui sunt illorum indices, & memoriarum rerum, sublata omni perturbatione, fidelissime conservant. Hoc adempto praesidio, caeca & obscura est Annalium series; nec nisi per ambages annorum situs explorari potest. Ut si ego primam Olympiadem anno mundi 3208. celebratam esse dixerem, nihil admodum profecero; nisi & annorum numerum adiciam, quem ad aram Christianam fluxisse statuam. de quo cum tam variae sint Chronologorum sententiae, varias itidem epochas adnotari necesse est. Quae res fastidium ac molestiam parit. At qui Periodo Juliana uti velit, cum in ea semel epocham aerae Dionysianae fixerit, quemcumque deinceps in annum mundi Natalem consecerit, quantum is ab aera vulgari distet, uno momento perspiciet. Quamobrem nos in omni re Chronologica Periodi Julianae adminiculo libenter utimur, praesertim hac in Operis parte, qua insignes omnes temporum epochas persequimur. Quarum cum princeps ea sit, quam hoc capite proponimus, primam omnium suis caracteribus, hoc est, Julianae Periodi certo anno consignabimus.

Diximus Natalem Christi communem ex ratiociniis nostris incidere in annum mundi 3983. quae summa singulorum ex intervallorum spatiis colligitur; de quibus erit postea dicendi locus. Cum ergo Natalis idem in Periodo Juliana annum occupet 4713. cyclo Solis 1x. Luna 1. Indict. Romana 111. si de 4713. deducas 3983. reliqui erunt anni 730. Itaque primus annus orbis conditi erit Julianae Periodi 731. Ac si mundum creatum censetas verno tempore, indeque annos incipias, aut certe à Kalend. Jan. more Juliano, erit, uti dictum est, primus annus mundi septingentesimas trigesimas.

* Novilunium medium, Lutetiae Octob. 12. horâ 13, 13, 23. Hierosolymae horâ 16, 1, 23. Plenilunium Lutetiae Octob. 27. 7. 33, 25. Hierosolymae 27. 10. 23, 25. Severianus Gabalitanus, Oratione 111. de vitiis persequitur credit Lunam plenam esse factam, pag. 602. Ed. Savil. & multa differit de undecim Epactis Lunae. Petrus.

cessimus primus; Natalis vero Christi 3983. exiens. Sin est ut mundi conditum ad Autumnum referas, indidemque annos ordiatur, mundus quidem anno 730. creatus est; Christus vero anno 3984. inuenta natus. At si annorum caput in Januariis Kalendas conferas, mundus creatus erit anno exeunte 730. Christus anno 3983. natus, itidem exeunte. Quare perpetua methodo ad annos mundi adice 730. ut annos Julianae Periodi conficias ex a. d. Kal. Jan.

De anni cardine, in quem procreatio mundi convenit, lis est inter Chronologos; nec minor apud Philosophos quaestio. Quorum plerique vernali tempestate praefertunt: alii censent autumno creatum esse mundum. Pro se quique & argumentis suis certant, & contraria labefactant. Nos in ea semper opinioem fuimus, ut autumno potius quam vere productum esse mundum arbitraremur. Quod idem & Scaliger in posteriori editione placuit, cum in priori verno tempore id accidisse scripserit. Idem censet & Serrarius noster in caput v. Josue, Quaest. xxvii. nec abhorret Pererius. Movet me vero ut ita sentiam potissimum istud, quod ante Moysen anni caput erat in autumno. Etenim Exod. xxiii. 16. jubet Moyses Tabernaculorum festum celebrare mense septimo *בחדש השביעי* in exitu anni. Et cap. xxxiv. 22. eandem celebritatem indicit *בחדש השביעי*, anno vertente. Neque dubium est quin primus Moyses Dei jussu anni principium ad Nisan trajecerit: quod primitus institutum Exodi xii. 2. Proinde ante Moysen aliud erat initium, quo veteres Patriarchas usos esse, idque ab rerum exordio *מאז הבריאה* mansisse, nemo iure dubitaverit. quod & Josephus confirmat lib. i. Orig. cap. iv. Quae in veris gratiam afferuntur in Annalibus, & scholastico more pinguntur, magis nos specie ipsa, & venustate delectant, quam disputationis momentis, ac ponderibus inflectunt. Quocirca nec in illis discutendis, aut refellendis haerebimus. Satis habemus, quod probabilis videtur, in medium adducere. Qui aliud existimet, & contrariam partem assermet, non magnam rem fecerit. Neque enim utram in partem inclines magnopere interet.

* Tempus conditi orbis in ipso Librae cardine constitutum; qui ex aequabilis anni methodo convenit xxvi. Octobris. Anno vero Periodi Julianae 730. littera Dominicalis fuit E, Cyclo Solis 11. Luna 1x. Quare Octobris xxvi. feria prima; quo die mundi fabricationem aggressus est Deus. Plenilunium medium ex Tabulis nostris incidit in Octobris xxvi. feria 11. hor. 9, 5, 42. à media nocte. Verum autem hora 8, 47. circiter. Luna itaque paulo infra plenilunium condita fuerit, quarto die, qui est Octobris xxix. Quamquam Augustinus libro Imperfecto de Genesi ad litteram, cap. xiiii. absurdum esse judicet, Lunam plenam primitus esse factam, quasi non nos à prima, sed à sexta decima, vel quintadecima numerandi sumamus exordium. Et in Lib. 11. de Genesi ad litteram cap. xv. neutrum se dicit asserere. Nihil interest quae specie Luna primùm condita dicatur: praesertim cum de anno, quo revera mundus creatus est, certo nemini constare possit. Pro nostra tamen conjectura dici illud potest; consentaneum videri, uti Deus Lunam in eo aspectu, ac schemate produxerit, ut infra plenilunium esset: nempe uti primo totius opificii die, decima quinta, si tum foret condita, numerari posset. Primam ergo Lunae speciem ad usum civilium temporum, ac lunarium mensium direxit; itaque procedere iussit, ut primus orbis conditi dies civile plenilunium, hoc est decimam quintam Lunam obtineret. †

CAPUT

† Addit in exemplari suo Petrus: Quod si veriores Luminarium motus ex Parisiis Tabulis inquirantur, Aequinoctium verum contigit Hierosolymis Octobris xxiiii. feria v. horâ 21, 52. Novilunium porro verum Octobris xiiii. horâ 11, 25. Unde Luna xi. Octobris xxvi.

CAPUT VII.

Expenditur Sordidus epocha mundi ex apogei progressu; qua ad opinionem nostram accommodatur.

CHRISTIANUS Longomontanus, qui ante tricenarium Danicam Astronomiam ad Tychois Brahe observationes exactam edidit, lib. 1. Theoricorum cap. 11. & 111. certa ratione mundi se natalem annum reperisse putat; ex apogei situ, quem initio rerum existitisse probabile est. Sic enim arbitratur: non variari Solis *invergens*; sed eandem, & immutabilem esse, qualis est 35714. ad 1000000. vel unius ad viginti octo: moveri autem quotannis apogeam serup. 1', 1'', 50''' 14'''. Quamobrem cum apogeam Hipparchi saeculo, id est anno Periodi Julianae circiter 4557. inventum sit in gradu Geminorum 5, 30'. vel ut ipse restituit in gradu 5, 16'. Tychois vero tempore in gradu Cancri 5, 30'. si motum illum proportionem distribuas, anno ante Tychois observationem, quae in Christi 1588. incurrit 5554. fuit apogeam in principio Aetatis; perigeam in principio Librae. Est autem verisimile, Solis apogeam initio rerum in nobilissima illa Signiferi parte fuisse constitutum.

Sed nihil certior haec est ratio demonstrandi rerum ortus, quam quae per Historia intervalla procedit. Nec enim liquidum convenit de aequabili motu summæ apsidis; neque quanto tempore gradum unum percurrat: uti Libro iv. fuisse disputatum est. Praeterea demus annum, ut putat Christianus, mundi 3810. qui est Periodi Julianae 4557. apogeam in gradu 65, 16'. fuisse. Igitur in annis 1744. qui ab illo tempore ad annum Christi 1588. interjecti sunt, progressum est gradu 30, 14'. Proinde ex regula proportionis, in annis 5509. fere conficiet gradus 95, 30'. Atqui annos idem ille auctor assignat 5554. Quod si Hipparchi saeculo praecise apogeam erat in gradu 65, 30'. & annorum 1744. intervallo processit gradus 30. ex eadem proportionis regula confurgit quidem anni 5551. ab Orbis initio ad Tychois aetatem. verum cum Christianus non in scrupulo 30'. sed in 16'. per illud tempus versatum esse censet, ejus ratiocinia minime procedunt.

At epocha nostra, quae anno mundi 3983. Natalem Christi communem assignat, ex illa ipsa summæ apsidis progressionem sitaque longè firmius adstruit. Etenim

ut Hipparchi tempore in gradu Geminorum 5, 30'. revera constitutum apogeam esse velimus, id non anno Periodi Julianae 4557. praecise convenit potius, quam anno 4552. quo Hipparchearum omnium *magis* prima consignatur. Igitur fingamus anno antecedente, id est Periodi Julianae 4551. apogeam in gradu 65, 30'. ab aequinoctio versatum fuisse. Intervallum ad annum Periodi Julianae 6301. qui est Christi 1588. sunt anni 1750. quo spatio gradibus 30. apogeam progressum est. Jam si gradus 30. postulant annos 1750. gradus 95, 30'. auferent annos fere 5571. hoc est 5570. Proinde vel ex Christiani Longomontani ratione non minus nostra, quam ipsiusmet opinio comprobatur. Est enim annus Christi 1588. ab Orbe condito secundum putationem nostram 5571. Sed, ut ingenue quod res est profitear, non magnum praesidium arbitror in illa progressionem apogei alterutram in partem esse positum: cum ob incertam apogei variationem. tum quod minime constet, utrum Hipparchi, an Ptolemaei saeculo magis ille situs apogei conveniat. Vide quae de hac re lib. iv. cap. xx. supra disputavimus. Quod si verus esse potest calculus noster, ut in annis 5571. gradus 95, 30'. apogeam confecerit: motus ejus annuus, peraequatione facta, confurget 1', 1'', 42''' *ant*.

CAPUT VIII.

De Diluvii epocha: ac primùm de annorum ab Orbe condito putatione ad Diluuium.

ANNORUM, qui ab rerum primordio ad Diluuium fluxerunt, numerus ex generationum, quae à Moyse describuntur, serie, ac successione pendet. In quo Graecorum ab Hebraeis, ac Latinis voluminibus tritum est, & vulgare discrimen. Latinorum, Hebraeorumque calculus annos efficit mclvii. Graecorum ratiocinia variant; & ut hodie existant, depravata videntur. Vulgus enim annorum summa conficitur mccccxii. At olim viginti amplius, hoc est mccccxiii. imputabantur. Auctor Libri de Mirabilibus sacrae Scripturae lib. ii. cap. iv. annos dumtaxat mcccc. uti supra cap. 111. referebamus. alii aliter numerant. Nos amobrum maxime summas, Graecorum videlicet, & Hebraeorum in Laterculum conferemus: additis etiam Samaritanorum, & Africanis numeris, quos ex Georgio Monacho collegit Scaliger, & in Eusebiana Graeca coniecit.

LATERCULUM AETATIS PATRIARCHARUM ab Orbe condito ad Diluuium.

Generant anno aetatis secundum	Vixerunt postquam genuerunt secundum					Vixit totius tempus secundum			
	Lxx. Interpret.	Hebr. ac Latinos	Samaritanos	Africanos	num.	Lxx. Interpret.	Hebr. ac Latinos		
Adam	230	130	130	230	700	800	800	930	930
Seth	205	105	105	205	707	807	807	912	912
Enos	190	90	90	195	715	815	815	905	905
Cainan	170	70	70	170	740	840	840	910	910
Malaleel	165	65	65	165	730	830	830	895	895
Jared	162	162	62	164	800	800	785	962	962
Henoch	165	65	60	165	200	300	300	365	365
Mathusalem	167	187	67	185	802	782	653	969	969
Lamech	188	182	53	188	565	595	600	753	777
Noë	600	600	600	600					
Summa	2242	1656	1302	2267					

Ex Graecorum putatione, quae in quibusdam libris extat; magnum absurdum sequitur; nempe Mathusalem quatuordecim annis Diluuium superfuisset. Vixit enim annos 969. anno vero 167. genuit Lamech: Lamech anno aetatis 188. genuit Noë. Consiunt anni 355. Adde 600. quibus Noë Diluuium antecessit, colliguntur anni ab ortu Mathusalem 955. Atqui vixit 969. Quare post Diluuium quatuordecim annis superpetus fuit. Mendum igitur est in Septuaginta Interpretum editione, & pro 167. Mathusalem repo-

endus Latinorum numerus 187. ut in quibusdam exemplaribus legitur. Ita sicut in totum anni 2262. Quae est Epiphani, Chronici Alexandrini, aliorumque summa: imo etiam Africanis, eodem teste Chronico. Quamvis in Excerptis Eusebianis quinque amplius imputet. Sed altera summa germana est, & ab ipsis lxx. concepta. Quae sit porro tante Graecos inter, & Hebraeos varietatis causa, in Chronicis & Annalibus accuratè differunt. Nunc ad Diluuii epocham accedamus.

Scaligeri verba sunt. *A conditu rerum, ad Diluuium, annos 1656. abfolutos esse, ex epilogis annorum, quibus natalis, & mors Adami & posterorum eius à Mose signata sunt, tam certum est, quam nemo haec dubitavit.* Quod tam audacter, ac praesertim annos illos, qui ex singularum generum epilogis consueverunt, vertentes, ac solidos fuisse desinit, nimium temere disputat. Nam quis illum docuit, nullas incidere fractiones annorum, neque inchoatos annos, quod aliis usitatum est, pro completis haberi? Quocirca cum verisimile sit aliquot saltem ex ultimis singularum generationum annis, quos habuisse tum cum gignerent Patriarchae dicuntur, libatos dumtaxat fuisse; longè tutius est de summa deducere, quam ad eam adicere. Propterea Diluuium anno mclxvi. in eunte contigisse credimus potius quam sequenti. Tameñ ante illud quoque tempus evenire potuit. Sed nos, pro eo ac Chronologi solent, annos omnes, qui in aliqua serie descripti sunt, pro integris accipimus, quamdiu nihil occurrat, quod fecus opinari cogat; quòdque alia ratione, quam adhibitis annorum fractionibus explicari nequeat.

Gen. vii. Quod autem nondum exactis mclxvi. annis, sed in horum postremo Diluuium incidere, Moses haud obsecutè docuit, cum ait anno sexcentesimo vitæ Noë coepisse Diluuium. Nam sexcentismus annus Noë, est millestus sexcentismus & quinquagesimus sextus ab orbis initio. In Juliana Periodo idem annus ex epilogismo nostro inuit ab autumno anni 2385, majorémque partem infrequentibus obtinuit.

CAPUT IX.

De anni forma, quae tempore Diluuii existit. Resolvitur in quatuor ratiõnes; & probabilis adstruitur.

HISTORIA diluuii, quam Moyses Geneleos vii. & viii. capite describit, quaestionibus variis, ac difficultatibus obfita est. Illud enim dubitatur imprimis, quae fuerit apud veteres illos Patriarchas anni forma; lunaris, an solaris, an alterius generis. Deinde cum septimus, ac decimus, verbi causa, mensis appellatur; utrum ab anni principio, an à diluio ordinales isti deducendi sint. Adhuc incertum est, utrum xl. dies, quibus pluvia continuo decidit, in illis cl. contineatur, quibus invaluerunt aquae, secundum quos eadem paulatim imminuit; an verò separatim numerandi sint. Accedit & Graecorum ab utraque, hoc est Hebraea Latinaque editione, diversitas. Nam Hebraei ac Latini initium Diluuii statuant mense secundo, die xvii; Graeci die xxvii. Item desisse ponunt omnes mense vii; sed Hebraei die xvii; Latini pariter ac Graeci die xxvii.

Sed historiae sacrae synopsis adscribenda videtur, uti quaestioni status facillitas animadverti possit. Anno ergo sexcentesimo vitæ Noë, mense secundo, ejusque xvii. die coepit pluvia. Ea quadraginta diebus ac noctibus perseveravit. Obtineruntque aquae terram cl. diebus: quae minui coeperunt post cl. dies: requievitque arca mense septimo. Tum decreverunt aquae usque ad decimum mensem: cujus prima die apparuerunt cacumina montium. Cumque transissent xl. dies, Noë corvum emisit: inde columbam, quae ad eum reversa est. Expectatis autem ultra septem diebus aliis, iterum columbam dimisit: rursusque post alios septem. quae non amplius reversa est. Proinde anno sexcentesimo primo, primo mense, & prima die mensis imminuit sunt aquae: ac demum secundo mense, die, ut Hebraei, Latinis, Graecisque placet, xxvii, arefacta est terra. Ex hac Diluuii narratione, ac descriptione mensium, primum anni quantitatem, ac formam investigare Chronologi student. Ac triplex anni potissimum ratio controversiam facere potest. Aut enim solari usi sunt anno veteres illi Patriarchae. aut ad solarem certè proximè accedente, nempe cccxv. dierum, cum appendice, quae iustum Solis curriculum expletet; prout ejus modum comperire poterant. Aut lunaris annus fuit trecentorum ac quinquaginta quatuor circiter dierum. Aut denique cccxv. cum accessione v. die-

Scaligeri sententia tum expressus libro III. Patriarchis illis veteribus anni

formam adscribit eam, in qua menses singuli triginta diebus constarent; ad quos quoque praeterea dies appensii sunt. Ita cum quarto quoque anno dies solidos abesset; post cxx. annos, tricenum dierum antecessione collecta, mensem unum tricenarium intercalatum fuisse, quoad veterem epocham caput anni revocatum est. Verum de Chaldaica ista civilis Hebraeorum annotatione diximus libro III, ubi commentum illud exagitatimus. Nunc, quatenus è Mosis verbis eandem certissimè colligi putat, & qui fecus judicant, ab illius auctoritate desciscere, more suo, sine ratione praescribit.

Tricenarios ergo menses existisse, inde clarissimum esse dicit in tertio libro, quòd Diluuium inierit die mensis secundi xvii. secuti sunt cl. dies, ita ut cl. fuerit xvii. dies mensis septimi. Jam xvii. dies ante diluuii initium fluxerant, & post usque ad decremendum aquarum, cl.; qui sunt cxcvii. & per triginta divisi relinquunt menses vi. praeteritos, & diem xvii. mensis septimi. Jam die primo mensis decimi; hoc est die cclxxi. à capite anni, juga montium nudata sunt. Expectavit Noë dies xl., cum jam cccxi. dies ab anni capite fluxissent. Emisit postea corvum, qui eundo, ac redeundo quadraginta dies alios consumpsit. Colliguntur cccxi.; tum septem: inde alii septem. Summa dierum cccxv.

Hac Scaligeri sententia, neque omni ex parte probabilis est; neque expressa, & necessaria scripturarum auctoritate; sed conjectura sola defenditur. Nam duo sumit, quae neque in sacris literis leguntur, & negantur ab aliis. Primum est, quadraginta pluvia dies illis cl. contineri. Hoc enim nisi conceditur, plures quam cxcvii. dies confurgunt. Alterum est bis quadraginta diebus superaddidisse Noëm, priusquam corvum dimitteret. Moses enim semel tantum quadraginta dierum moram intercessisse narrat. Quinetiam ridicula est *Septuaginta*, & secum ipse ac cum scriptura velatur. Nam corvum ait post xl. primos dies, totidem alios eundo, ac redeundo consumpsisse. Inde columbam emisit. ac post xl. istos dies posteriores, aquas petitis exhaustas, & ut ille loquitur, exsuctas fuisse. Hoc verò cum Scriptura ex diametro pugnat. Quippe columbam refert, cum emissã sit, non reperisse ubi pedem collocaret: & post xiv. dies, intellexisse demum Noëm aquas cessasse. Falsum est itaque post xl. dies, qui quatuordecim antecesserunt, aquas exsuctas fuisse.

Aliis Chronologis lunarium mensium descriptio magis probatur. Sed mirifica quaedam est anni forma, quam nonnulli procurant, qui ex lunaris, & solaris anni contextu monstrum nescio quod bifforme fixerunt. Asserunt enim veteres illos lunarium usos esse mensibus; annum verò fuisse solarem, dierum cccxv. Sanè Graecos refert Geminus ab Oraculo monitis annum civilem ad Solis rationes, menses autem ad Lunae intervalla direxisse. Sed hoc ipsum ab eo ita declaratur, ut tam menses singuli, quam anni, planè lunares exstiterint, quantum captus lunarium temporum tulit: iidem tamen anni mensisque certis annorum orbibus cum Sole congruerent. ut in cyclo decemnovennali accidit, quo qui utuntur. non alios menses, aut annos adhibent, quam merè lunares; tamen sistema ipsum annorum, hoc est annus major, cum Sole paria faciat. Atque ut in omnes sese partes opinionis illius auctores convertant, numquam efficient, ut lunares menses aliter ad usum accommodentur, quam si & anni ipsi simplices perinde lunares existant. Quid est mensis lunaris? Qui ab aliqua Luna *phasi* ad eandem revertitur; ut à novilunio ad novilunium. Quid est lunaris annus? Systema mensium ejusmodi, vel duodecim, ac dierum circiter cccxv., ut in annis simplicibus vel tredecim, dierumque ferè cccxxxv.; ut sunt, quos embolimosos appellant. Ut autem menses omnes lunares sint; annus verò, solaris, dierumve cccxv.: nulla vi, aut ratione consequi possumus. Ac ne Deus ipse quidem annum istiusmodi moliri queat; propterea quòd manifestum, ut loquuntur, contradictionem implicat. Etenim fingamus annum primum, ac mensem ab novilunio coepisse. Quoniam igitur menses omnes, ac singuli ex hypothese illa lunares sunt, perque ab novilunio coepti in novilunium desinent. At verò duodecim menses à novilunio ad novilunium, diebus ccciv. definiuntur, & horis insuper aliquot

Quo-

Quocirca exacto priore anno, undecim ferè dies erunt ad solarem modum reliqui. Qui sive priori anno velut appendices ardentur, sequens annus non à novilunio, sed à Luna xii.; tertius à xxi. inchoabitur: adeoque lunares ceteri menses non erunt sive posteriori tribuantur: annus primus, itidemque sequentes, diebus non cccxv.; sed ccciv. circumferentur. Accedit ad erroris cumulum, quod in forma illa Luna solari, mensem identidem intercalatum iidem scriptores affirmant: quasi post expletos cccxv. dies, quos annis singulis asingant, tantum superet dierum, ut, quod in cyclo decemnovennali fit, tam crebro repeti intercalatio ista possit. Sed de nova illa, inusitata, & absorta anni constitutione nimium multa.

Equidem, quod potissimum anni genus amplexos veteres Patriarchas existimem, nondum fati apud me desinit postum. Neque enim certi quicquam è sacris vel profanis literarum monumentis extricare licet. Quae verò de Chaldaeorum, & Perlarum annis; tum Hebraeorum antiquiorum, docuit Scaliger, ac recentiores per multum sequuntur: ea sunt à nobis refutata secundo libro. ut est illud praeter ceteris: post cxx. annos mensem integrum ex Julianis quadrantibus constatum intercalari confexisse; atque ita caput anni, quod tricenis diebus in anteriora recesserat, suam in sedem restitutum; idque cxx. annorum spatium Cheled appellari. Quod commentum nullo solido fundamento nititur, ut ibidem docuimus.

Quapropter sive lunarem annum, mensisque lunares ad Diluuii historiam applicemus; sive tricenarios menses, annisque praeter praeter dierum cccxv. statuamus; nihil adversus Mosis narrationem peccabimus; ut paulò post declarabimus.

Verum nescio quo modo propensiores in eam conjecturam sumus, ut & tricenarios fuisse menses arbitremur, & appendices quinque, vel sex, aut plures paucioresve dies accessisse, prout solaris anni modum animo praecipiant: vel etiam ex appendicibus istis diebus collectum tricenarium mensem opportuno tempore extra ordinem inculcatum fuisse. Est enim antiquissima illa ratio, mensura intervalla diebus triginta definiendi; quòd hic modus ad Lunae circuitus propius accedere videtur: quem & Graecos veteres addivisive libro primo demonstravimus. Itaque Patriarcharum, ac Diluuii tempore nihil prohibet menses singulos tricenarios existisse. quod reliquum erat ex anno solari, id est in caleam anni rejectum, aut certis annorum evolutis spatii admittum. Quantum porò illud fuerit, ideo certo pronunciari nequit, quoniam quis ab illis solari conversioni modus praestitutus sit, investigare minime possumus. Et probabile est, dierum *πρὸς τὸ ἀπὸ τῶν ἄλλων* annorum suorum labem illos identidem correxisse; ut de Graecis ostensum est. Vide omnino, quae lib. I. de Graecorum anno disputavimus. Quin illud praeterea cogitandum est, non solum ex Mosis verbis, atque ex Diluuii descriptione nihil de propria temporis illius anni forma posse concludi; sed etiam licet manifestè mensium, annique totius quantitas ibidem esset expressa, non ideo tamen de anno illo, quo Patriarchae sub Diluuii tempus usi sunt necessariò colligi. Hoc enim asserri potest, Mosem eos menses atque ejusmodi formam anni ad Diluuii exponendam historiam accommodasse, quibus tum Judaeorum populus, cum scriberet, utebatur. Imo etiam non civiles illos annos mensisque, sed Ecclesiasticos, ac recens constitutos adhibuisse, qui à Nisan inchoati sunt, & fortasse lunares fuerunt. Quemadmodum in Annalibus & Chronicis nostris, Graecorum, Aegyptiorum, ceterorumque gesta, quae dissimilibus apud eos mensibus notata sunt, mensibus nostris consignata produuntur. Ita planè dubitari potest, equid Moyses Diluuii historiam, ejusque partes singulas, quae tum aliis mensibus conveniebant, ad suos ac populares direxerit. Exempli causa; cum Diluuii tempore anni caput in Octobri fixum esset, & septimo vel octavo mense Diluuium coepisset, hoc est Aprilis, vel Maio: Moyses Ecclesiastico Judaeorum utens anno mensem illum secundum ad septimum appellare potuit; qui Patriarcharum aro septimus, atque primus fuit. haud fecus ac si nos idipsum mense tertio quartove incidisse dicamus, nempe ab Januario numerantes. Quae ex re conjecturarum istarum vanitas majorem in modum elucet: & Scaligeri, ceterorumque temeritas discutitur, qui tam ob-

cura, tam ambigua, tam incerta de re, certas suas esse sententias, atque omnibus sine ulla dubitatione persuaderi cupiunt. Nobis, si minus veritas constet, danda sanè opera est, ut ne idipsum ignoremus saltem: nondum illam haecenus constare; neve in affirmando praecipites agamur.

CAPUT X.

Adaptationis historiae diluuii, & mensium verisimilis descriptio variis ex formis eligitur.

Sed ne Scepticorum more dubia in quaestione sic assensum omnem cohibeamus, nihil ut à nobis praeter haeritationem Lector auferat; ac ne, tamquam in civili tamulta & seditione, committamus illud, quod Solonis lege vetitum accepimus, neutras ut partes sequamur; exponam hoc capite, quid expensis omnibus verisimilius existimem; si prius consilium ipsum sententiarum, ejusque causas paulò accuratius expendero. Illud verò ante omnia, quod in controversiam adduci merito posse duximus, remittendum est, in Diluuii descriptione, Mosem ea mensium forma uti voluisse, quae illorum propria temporum fuit, non quam ipse deinceps instituit. Porro cum nulla alia via liceat mensium quantitatem, annique formam subodorari, quam cl. diebus, qui inundationi tribuuntur, cum superioribus, & in sequenti mense comparandis, ac certa ratione partendis, quatuor illis ex causis, quas superioris capitis initio proposuimus, multiplex opinionum varietas confurgit. Aut enim Hebraeorum, aut Latinorum, aut Graecorum lectionem amplectimur. (Latinos enim ac Graecos nonnihil à se invicem discrepare scimus, quòd illi Diluuium secundi mensis die xvii. cum Hebraeis inuisse sentiant; Graeci xxvii.) Rursus aut xl. dies persequentium imbrium à cl. separamus, aut iis ipsis includimus. Item menses aut Lunares sunt, id est alternis pleni ac cavi; aut aquabiles. Ad hac mensis septimus, in quo aquae minui coepit, aut ab anni principio, primoque mense septimus appellatur, aut ab initio Diluuii. Totidem de causis variè Diluuii explicandi rationes oriuntur, quae ad xxiv. plus minus revocari possunt. Earum porò dimidia ferè pars ob id rejicienda, & absurda censetur, quòd aquarum imminutio posterius incidat, quam arca super montes Armeniae resederit. Quippe post cl. dies, ait Moses, aquae minui coeperunt: arca verò septimi mensis die vel xvii., vel xxvii. requievit. Ut autem diligentia nostra hac in parte lectori probetur, breviter illa varietatis capita perstringam.

Igitur si Hebraeos codices sequimur, qui & pluvias xvii. die secundi mensis inuisse volunt, & xvii. die septimi aquas decrevisse: menses aut lunares erunt, aut aquabiles, ac tricennarii: utrobique verò septimus mensis aut ab initio pluviae cadentis, aut ab anni epocha sumitur. Denique xl. dies pluviae aut cum sequentibus cl. permiscuntur, aut ab iis separatim numerantur.

Si Lunares menses fuisse placeat; quadripartita ratio nascitur. Prima; ut & septimus mensis ab inente pluvia deducatur, & xl. dies pluviae sejungantur ab reliquis. Ita enim cum ab imbrum exordio ad aquarum decrementum, xl. & cl., id est cxc. dies intercedant: ad arca verò quietem, cxciv. (siquidem lunares menses vi. dies colligunt cxxxvii; quibus additi xvii, consuecunt ccciv.) manifestum est quatuor totis diebus, antequam arca sederet, aquas minui coepisse.

Secunda: si septimo perinde mense ab imbrum initio numerato, xl. pluviae dies sequentibus cl. contineantur. Nam hoc modo ab initio pluviae ad aquarum imminutionem dies erunt cl. cum autem ad arca quietem cxciv. putentur, quadraginta quatuor diebus ante decrevit aqua; quam in montibus arca subsisteret.

Sin mensis septimus ab anni ipsius epocha sumatur, totidem modis explicari res poterit.

Tertia itaque ratio est, ut xl. dies seorsim numerentur. Quo pacto quoniam ab anni primordio ad quietem arca, id est diem xvii. mensis septimi, dies interjecti sunt cxciv.; ab eodem verò anni initio ad aquarum decrementum dies cccxxxvi; hoc est xvi. ante pluviam;

B 3

DE DOCTRINA TEMPORUM,

14. pluviam: & ab hujus exordio cxc, necesse est diebus, antequam aqua decreverent, xlii. arcam subfedit.
- IV. Quarta denique; si dies xl. cum reliquis cl. confundantur: tum & aqua post cxcvi. dies ab anni epocha minui coeperunt, & biduo antequam decreverent, arca requievit.
- V. Ut autem aquabiles & tricenarii menses constituantur, quadrifariam itidem totum istud negotium explicabitur.
- V. Primò enim septimus mensis ab initio imbrum numerabitur, & xl. dies separatim censentur: atque ita cum ab anni epocha ad xvii. diem septimi mensis, dies interjecti sint xlvi, & cxcvii, hoc est cclxiii: ad aquarum verò decrementum, cxxxvi: aqua diebus septem ante decrevit, quam arca requieverat.
- VI. Secunda ratio; si septimus mensis ab ineunte pluvia numeretur, & xl. dies cum cl. miscantur; sunt ad xvii. diem mensis septimi ab anni epocha dies cclxiii: ad aquarum verò diminutionem dies cxcvi. Ideo quadraginta septem diebus ante arcæ quietem aqua decreverat.
- VII. Tertio; septimus mensis ab anni primordio putatur, qua ratione quadraginta diebus à cl. junctis; colliguntur ab anni epocha ad xvii. diem mensis septimi, dies cxcvii; ad aquarum verò decrementum, dies cxxxvi. Proinde quievit arca, priusquam aqua decreverent, diebus xxxix.
- VIII. Quarto denique, septimus mensis ab anni principio nominatur; & xl. dies in cl. comprehenduntur. Inde & ab initio anni ad arcæ quietem dies confurgunt cxcvii, & ad aquarum imminutionem cxcvi. Altero ergo die postquam minui aqua coeperunt, arca refedit.
- Jam ex Latino rationibus totidem interpretatio- num divortia nascuntur. Ac primò Lunares menses; post æquabiles ad historiam applicabimus.
- IX. Quocirca lunariis constitutis mensibus; si septimus mensis ab initio dumtaxat pluvie numeretur; & quadraginta dies separantur: cum ab anni Neomenia ad xvii. mensis septimi dies intercedant ccl. (Nam sex lunares menses dies sunt cxxxvi, quibus additi xvii. conficiunt cclv, qui cum xlvi. juncti, qui pluviam antecesserunt, dant ccl. dies) ab eodem verò anni initio ad aqua diminutionem, dies sint cxxxvi: sequitur quatuordecim diebus ante minui coepta aqua, quam arca subfedit.
- X. Secunda ratio & mensis ab initio pluviarum septimum nominat, & xl. dies partem illorum cl. constituit. Quo fit ut à primi mensis Neomenia ad xvii. diem septimi mensis dies interjecti sint ccl. quando arca requievit ad id verò temporis, quo decreverat aqua coeperunt, dies cxcvi. Proinde diebus ante quietem arca lii, aqua decreverunt.
- XI. Tertio sumatur ab anni exordio mensis septimus, & xl. dies cum cl. jungantur. Fient ad xvii. mensis ab anni primordio, dies cclv. Decreverunt aqua post cxcvi. dies ab eadem epocha. Prius ergo diebus octo diminui capit aqua, quam arca resideret.
- XII. Quarto mensis septimus ab anni epocha numeretur, & xl. pluvie dies à cl. separantur; dies consent ab exordio anni ad arcæ quietem, uti prius, cclv. ad aquarum verò diminutionem, cxxxvi. Igitur antequam aqua decreverat coeperint, arca refedit diebus ferme xxxii.
- Quod si menses aquabiles ad Latinorum calculos accommodemus, quadripartita perinde ratio confurget.
- XIII. Prima septimum mensis à pluviarum principio petit, & xl. dies fecerit. Colliguntur ergo ab initio anni ad xvii. diem mensis quo in montibus arca subfedit; dies cclxiii; ad aquarum verò decrementum cxxxvi. Intervallum ab aquarum imminutione ad arcæ quietem, dierum xvii.
- XIV. Secundo, si mensis septimus à pluviarum epocha sumatur, & xl. dies in sequentibus includantur, erunt ad quietem arcæ ab ineunte anno dies cclxiii; ad eum verò diem quo decreverat coeperunt aqua, cxcvi. Ergo diebus ante quietem arcæ quinquaginta septem, aqua decreverat coeperunt.
- XV. Tertio, septimus mensis ab exordio anni repetatur; si xl. dies extra cl. computentur, sicut ad arcæ quietem dies à Neomenia primi mensis cclvii, aqua portò

minui coeperunt post cxxxvi. dies ab eodem anni principio. Igitur diebus xxix. ante diminutionem aquarum arca subfedit.

Quarto denique mensis septimus ab anni primordio numeratur, & xl. dies pluvie cum cl. miscantur. Hoc modo dies ab anni initio ad arcæ quietem sunt cclvii: ad aquarum decrementum, cxcvi. Undecim ergo diebus antequam arca resideret, aqua minui coeperunt.

Postremo si lxx. Interpretum lectionem amplectimur, secundum quam pluvia à xvii. die secundi mensis incunt, & xxvii. die mensis septimi arca conficit, octo perinde modis per lunares, & æquabiles menses deduci res poterit.

Nam si lunariis utare, prima ratio est, ut septimum mensis ab initio Diluvii repetas, & xl. dies ab reliquis separes; sicut ab exordio anni ad aquarum imminutionem cclxvi. dies. Jam ab eadem anni epocha dies ad arcæ quietem colliges cclx. Ita xv. diebus ante quietem arca decreverat aqua coepit.

Secundo mensis septimus ab initio Diluvii sumitur, & xl. dies in reliquis continetur. Colliguntur ab anni principio ad Arcæ quietem dies cclx: ad aquarum verò diminutionem cclv. Ergo antequam arca quiesceret, diebus lii. aqua decreverat coeperunt.

Tertio septimus mensis ab ineunte anno numeretur, xli. dies ante cl. decurrant. confurgunt ab epocha anni ad xvii. mensis septimi, quo quievit arca; dies cclv: ad aquarum verò reciprocationem dies cclxvi. Intervallum ab arcæ quiete ad aquarum decrementum dies xlii.

Quarto, si septimus mensis ab initio anni ducatur, & xl. dies includantur in cl., sicut ad arcæ quietem dies cclv; ad aquarum decrementum ab eadem epocha anni, dies cclv. biduo igitur antequam aqua decreverat, arca requievit.

Ad extremum si æquabiles menses adhibeas, totidem modis historiam Diluvii d. clarare licebit.

Primum, septimus mensis ab ineunte pluvia numeretur, & xl. dies ante cl. decurrant. confurgunt ab epocha anni ad xvii. mensis septimi, dies cclxiii; ad aqua imminui coepta, dies cclxvi. Ergo ante xvii. dies quam arca subfideret, aqua minui coeperunt.

Secundo, septimum mensis ab eisdem exordio pluvie putemus, & xl. dies cum cl. miscantur; erunt ad arcæ quietem ab anni primordio, dies cclxiii; & ad aquarum imminutionem, cclv. Itaque diebus lvi. prius aqua decreverunt, quam arca resideret.

Tertio; si septimus mensis ab anni epocha deducatur, & xl. dies separatim; sicut ad arcæ quietem dies cclv; ad aquarum verò decrementum ab anno ineunte dies cclxvi. Igitur arca ante subfuit, quam aqua decederent, diebus xxxix.

Quarto, septimus mensis ab initio anni numeretur, & xl. dies cum cl. jungantur; erunt, uti prius, dies cclv. ad quietem arcæ; dies autem ad imminutas aquas, cclv. Quare uno die antea decreverint aqua, quam arca subfideret.

His omnibus modis Diluvii tempus digeri enarrari- que potest. Quamquam ut æquabiles menses usurpe- mus, parvum triplici in editione discrimen erit. Sed ex variis illis rationibus complures absurdæ sunt. nimirum illæ, quæ aut arcæ quietem posteriorem aquarum decremento faciunt. Hoc enim prius accidisse, & ratio ipsa, & scriptura convincit. Deinde quæ pluvium dierum ab eo tempore, quo diminui aqua coepe- runt, ad arcæ quietem computant. Atque ut tandem in re tam incerta probabile aliquid statuatur.

Imprimis quod ad mensis septimum, aliisque ordi- nales attingit, existimio non ab exordio pluvie, sed ab anni capite, sive mense primo, computari. Alio- qui impedit nimirum, & perplexè Moses narrationem suam instituisse; si eosdem numerales ordines modo ab anni principio, modo ab ineunte Diluvio arcesceret. Nonne mensis secundus, cujus xvii. die pluvie coepit, & mensis primus, ac secundus anni sequentis ab epocha anni, non aliunde sumuntur? Ergo & mensis se- ptimus, ac decimus interjecti, ab anni capite, non à Diluvio, pluvieque numerantur. Sed utrum anorum, qui in Mosis descriptione memorantur, initium illud ipsum sit, à quo civiles tum inchoabantur anni, nempe ab Autumno; an cum anni vite Noë recensentur, primus, secundus, septimus, decimusque menses à Noëmi

LIBER NONUS, CAP. XI.

Noëmi Natali putentur, dubium videtur. Ac Pererio placet menses illos à Noëmi nativitate nuncupari. Nam cum Moses annum sexcentimum, & sexcentimum alterum vite utique Noëmi persciscat, consentaneum est, ut mensis primus, secundus, ac reliqui ab eadem epocha proficiantur. Verum ego mensium ordinem ab anni civili capite libentius deduxerim; in quo majorem Scriptorum partem consentire video. nec illud absurdum, aut inusitatum judico, anorum caput aliunde, quam mensium putari. Hoc enim sæpius ab Historiis usurpatur. Quia in re duo sunt diligenter obser- vanda: Alterum; Scriptorum ipsam, adcoque Histo- ricos ceteros, cum annos Regis alicujus, aut alterius cujlibet numerant, nonnumquam illorum primordium non ab eo mense, vel die, quo natus est, aut imperium iniiit, petere solitos; sed ab anni civili initio. Quo fit ut cum Natalis illorum tam vite, quam regni dies in labentem incurbat annum, & vertente anno civili, nondum ad alterius anni principium istorum metas per- ventum sit; nihilominus cum novo civili anni princi- pio, novus perinde illorum annus numeretur. Quæ res infinitis exemplis adstrui potest. Ita Josephus, & Chri- stiani perulsi Tiberii annos ab eo capite numerant, quod ei anno, quem sequebantur, congruit; nempe à Nisan, aut à Januario, non autem à Septembri, quo imperium adiit. Quod idem & in aliis Imperatoribus, ac Regibus passim ostendimus in Animadversionibus ad Epiphanium, & exempla deinceps occurrunt. Ex quo probabiliter conjici potest, Moysen annum sexcentesi- mum Noëmi non abruptè ab anni civili æ parte com- putasse, in quam natalis ejus incidere, sed redeunte novi anni civili capite, novum vite illius anorum ini- tium cepisse. Exempli causa, Noë anno ab orbe condi- to 1655. mense sexto vel septimo annum vite suæ quin- gentimum nonagesimum nonum inchoavit: hunc ip- sum à primo mense anni 1655. Moyses putare coepit. Ideo anno ineunte 1656. annus sexcentessimus numerari coepit, tametsi nondum cum Noëmi attigisset. Aut, nisi istud placeat, fingamus anno 1655. labente Noë- mum sexcentessimum vite annum attingisse: anno 1656. ineunte, Moyses eundem sexcentessimum vite Noëmi pertexit: non quod anni caput idem & sexcentesimi illius esse vellet; sed quod civili anno incipiente, sex- centesimas adhuc ite decurreret. Alterum in ea re ob- servandum est; si verum est, quod suspicatur Scaliger; mensium nomina civilium nulla per istud tempus pro- pria fuisse; sed primum, secundum, tertium, & ita reli- quos appellatos; hoc ipsum ad conjecturam nostram firmam valde pertinet. Cum enim Moyses dicit anno sexcentesimo vite Noë Diluvium accidisse; tum mense secundo, septimo, decimo, hæc & illa contigisse; vocabula ista loco propriorum nominum accipien- da sunt; perinde ac si quis diceret, Tiberii anno xv. Januario mense Christum esse baptizatum. Nam si Ro- mani nullas alias mensibus suis appellationes tribuerent, quam ut Januario primum; inde secundum, tertium, & ita reliquos nominarent; tum quisquam ita conciperet, anno Tiberii xv. mense primo, Christum esse baptizatum, nemo primum mensis alium, quam ci- vilis anni principem intelligeret. His duobus fretus ar- gumentis, persuasum habeo, mensium ordinem in Di- luvii narratione ab anni civili exordio esse repetitum. Ex quo & altera controversie pars deciditur; utrum xi. pluvie dies à cl. fecerendū sint. Nam in istis includi perspicuum est; cum sive lunares, sive tricenarios men- ses adhibeas, non aliter ratiocinia tua explicare possis, quam si ab decima septima die mensis secundi ad xvii. vel xxvi. septimi cl. dies, non plures computes. Ea- dem enim ratio post appellationes secundi mensis, & septimi, idem utriusque caput. Quocirca si xl. dies à cl. distinguas, & dies cxc. ab initio Diluvii ad xvii. mensis septimi numeres, immanis erit singulorum men- sium modus, ac dierum amplius xxxvi. quod est ab- surdum.

Natus sum tamen, qui hæc alia quadam ratione dis- putaret; & Hebræos affirmaret annum simplicem die- rum cccx. definisse, quinque autem appendices sexto quoque anno, cum scilicet collecti jam essent xxx. dies, intercalasse, sextum inter & septimum: ita ut bis septi- mus numeraretur. Unde qui septimus à Moysse voca- tur, is revera octavus erat; sed qui ipsum antecesserat, extra ordinem insertus fuerat. Quam ego sententiam

magis non probare possum, quam certis argumentis refellere.

Ceterum ex tribus editionibus, Hebraica, Græca, Latina, quamcumque delegeris, potes è superioribus probabilem aliquam rationem excerpere, quæ ad luna- res, aut æquabiles menses conveniat. Nobis in Hebraï- ca lectione, sive lunariis utare mensibus, quartus mo- dus imprimis probatur. secundum quem biduo ante de- creverat aqua coepit, quam arca subfideret. Sive æqua- biles menses asumere malis, quartus itidem explicandi modus perplacet: in quo altero die, quam aqua dimi- nui coeperunt, arca requievit. In Latina perinde in lu- nariis, & æquabilibus mensibus, postrema rationes reliquis anteponendæ sunt. Quod ad lxx. seniores atti- net, si lunares menses accomodes, vix ulla probabilis via reperiri potest. Quæ enim omnium maximè consen- tanea videri potest, quarta, idcirco eam minus amplec- timur, quod arcam requievisse prius admittat, quam aqua decreverat. Hoc autem minus ad Scripturæ men- tem facit. In æquabilibus mensibus, quartus itidem mo- dus adsciscendus est.

CAPUT XI.

De anni, in quem Diluvium incidit, caractere Chronologico.

TAMETSÌ utra utri sit antependa lectio, Latina, an Hebraica, disceptare nonimus. (Septuaginta enim Interpretes consulto prætermittimus) nihilominus ut ne dubii, incertique pendeamus, ad Hebraicam fi- dem, quæ prima nobis occurrit, calculos nostros accomodabimus. Eos verò postea facillimum erit ad Latinorum rationes applicare.

Constitutum est in superioribus, anni formam per illud tempus ad solarem modum directam tricenariis mensibus cum appendicibus constituisse. Quam cum antiquissimi populi, ut Egyptii, quondam tenerint; probabile visum est, eandem apud Patriarchas illos existitisse; nisi quod vagam & solutam anni licentiam, ac Neomeniæ anticipationem minus credimus ad illo- rum institutum facere. Ideo caput anni civiliis ab au- tumno deducimus. Esti verò penitus est ignotum, utrum in eadem epocha, à qua primum annum mundi cepisse volumus, sub Diluvii quoque tempus hæserit; id est, eodem in Juliano die, qui fortasse fuit Octobris xxvi. (Potuit enim iusto major esse modus anni civiliis, ut ægyptiis labem contraxerit; aut castigazione aliqua ad Libræ caput, quod ἡ ἀρχὴ τῆς ἀρχῆς retroactum fuerat, eis ad ἀρχὴν τῆς ἀρχῆς summoverti.) nos tamen methodi gra- tia fingemus ab Noë Patriarcha, vel alio quolibet, an- ni civiliis labem sub Diluvii tempus emendatam esse; ita ut primi mensis Neomenia ad initium Libræ revoca- ta fuerit. Ac Solis in Libram progressum ex tabularum nostrarum regula metiemur: quamvis exploratum esse nequeat, ecquid temporibus istis modus ille anni con- grueret. Secundum hæc repetendum est animo, quod supra cap. vii. definitum est, annum primum mundi cepisse Periodi Julianæ anno 730. Octobris circiter xxv. verum quia majori sui parte cum 731. concurrat, & Peri- odi Julianæ annos à Kalendis Januarii ordinar, indi- demque & annos mundi putare solemus, idcirco nos primum annum mundi ex a. d. Kalend. Januarii anni Periodi Julianæ 731. auspiciamus, ac perpetua metho- do jubemus ad annos mundi 730. adici, ut Periodi Ju- lianæ annos investigemus. Itaque annum mundi 1656. cujus mense secundo Diluvium iniiit, ex Kalendis Ja- nuariis anni Periodi Julianæ 2386. numeratur, est re- vera ab Octobri antecedentis anni 2385. coepit. Ideo ab hoc anno caractéristi nostri derivandi sunt.

Anno ergo mundi 1656. ineunte, Periodi Julianæ 2385. ex Parisinis tabulis Sol Libram ingressus est, mo- tu medio Octobris x. hora 22. sive Octobris xi. At mo- tu vero, Octobris ix. horis 22. o. à media nocte, hoc est Octobris x. more Astronomico. Constituat ergo in Octobris x. caput anni civiliis, quod Zygones Neo- menia concurrat in parapegmate celestis anni. Novili- nium Tisri anno illo fuit Septembris xv. cujus caractere 6, 13, 20, 27. anno Judaico 1433. embolinæo, cyclo So- lis Romano v. littera Dominicalis B A. Ideo Neome- nia Tisri feria vi. Tisri xxvi. dies cadit in x. Octobris feria

Tum vero quod vulgo persuasum esse video, Belum Ni- ni patrem eundem esse, quem Moses Nembrot appel- lat, non repudiamus. verum Assur minime credimus proprium Nini esse nomen; sed gentilitium: ac vel popu- lum Assyrium, vel regem significare, quo sensu passim in sacris litteris usurpari solet. Quamobrem de terra Sennaar egressus est Assur, id est Assyrius Ninus, qui Ninivem edificavit.

Ex iis falsa illa constat esse, quae de Chaldaeorum, & Arabum imperiis, quae ante Assyrium existerent, Eu- sebius in Chronicis ex Africano commemoravit. quo- rum etiam rationem habuit Scaliger: ut eo nobis absur- diorem Chronologiam pareret; in qua Beli & Assyrio- rum exordium ante Diluvium annis amplius sexaginta contigit. Quibus si Chaldaeos & Arabas illos adjungas, quibus supra ducentos annos ex Africano Scaliger assi- gnat, vides quo demum res evasura sit, quantoque ante Diluvium tempore frequentari terrarum orbis regnis at- que imperiis coeperit. quae ne communi quidem generis humani clade, & inundatione sint extincta. Ne igitur in haec absurda revolvanur, Arabum, Chaldaeorum- que vetustissimas res illas, aut fictas & fabulosas esse di- cimus: aut istidem, quibus Assyrii florebant, temporibus existisse. Quod idem & de Aegyptiorum Dynastiis, & originibus asserimus, quas in immensum Africanus, & ex eo Scaliger, ultra generis humani non modo me- moriam, sed ortum ac primordium extendit.

133. Simplicius Comment. xvi. in librum II. de Caelo, scribit Callisthenem Aristotelis rogatu misisse Babylone perscriptas à Chaldaeis antiquissimas observationes an- norum 1903. ad Alexandri Macedonis usque tempora. Simplicii verba sunt: *Ἰσθὶν ἂν μὴν τῆς ἑσῆς Καλιθένης ἐκ Βαβυλωνίων περιφθόνους παρατηρήσεις ἀφικέσθαι εἰς τὴν Ἐλλάδα, ἢ Ἀλεξανδρίαν τῶν Ἰπποκράτην αὐτῶν ἀε πῦας ἀνησθησὶν ἐκ Περσῶν ὁ γὰρ ἐστὶν ἰσθμὸς, ἢ ἐπιμαρτυροῦν τελευτῆς μὲν τῆς ἑσῆς Ἀλεξανδρῆς ἢ Μακεδόνος σαυροῦσας. Προ- πτερεα quod nondum observationes ille caelestes, quas Aristote- lis mandato Callisthenes Babylone misit, in Graciam per- venerant. quas quidem annorum fuisse mille nongentorum trium auctor est Porphyrius, ad Alexandri Macedonis us- que tempora servatas. Si de anno 4383. quo capta est ab Alexandro Babylon, deducantur anni 1903. reliqui erunt 2480. qui sunt ab initio rerum anni 1751. à Dilu- vio 95. Sed si tanta fuit observationum illarum anti- quitas: necesse est Assyriorum regni primordia quaedam ex illis antecessisse, ac generis humani dispersione fuisse priores. quod ego non gravatè concesserim.*

CAPUT XIV.

De generis humani propagatione, & Assyrii regni progressu.

ANTEQUAM ab Assyriorum originibus, & primor- diis discedam, eximendus est Lectori scrupulus quidam, qui nonnihil ei molestie ac dubitationis affer- re possit. Cum enim Assyriorum initium in annum à Diluvio præter propter c. l. i. i. conjectum sit, mirum illud videri potest, quinam in tam angusto temporis in- tervallo propagati tantoperè genus humanum potuerit, ut non solum florentissimo Assyriorum imperio, sed & aliis præterea sufficeret: imprimis autem Aegyptiorum, quorum Dynastia licet contra fidem veritatis apud Africanum & Eusebium in immensum ex Manethone producta sint, apparet tamen eas antiquissimas fuisse, nec Assyriorum exordio posteriores. Unde nata, uti dixi, questio est, quomodo tam brevi spatio hominum genus adeo creverit, ut ex eo diversa illa regna repen- tē conflata sint. Quod eo incredibilius videtur, si quis res à Nino gestas, Asiāque latè perdomitam, & Orientis opes multis ab illo & ingentibus bellis attritas meminierit. Auctor est Diodorus e Cælia, Justinus, ac ceteri Ninium amplissima sui nominis urbe condita, propagandorum finium avidum multa cum finitimis at- que exteris populis bella gessisse. Tum ab eodem Arme- niam, Mediā, Syriam, Asiā, Aegyptum, Phoeniciam & Asianos tractus omnes, præter Indiam. Bactrianos po- stremo infinitis copiis aggressum. Peditum fuisse Diodo- rus refert decies septies centena millia; equitum ducenta & decem millia; falcatorum curruum centum millia, & sexcentos. Sed hæc nimirum fabularum, quam veri simi- liora videntur. Quid enim non Græcia mendax audet in

historia? Movit tamen nonnullos hæc imperiorum gen- tiumque propagatio, ut laxandum à Diluvio ad Abraam- um intervallum existimarent; & proinde Græcorum in eo ratiocinia Latinis anteferrent. Quippe ex horum computatione non plures quam cccxii. anni numerantur. Proinde cum initium Beli quadret in annum à Diluvio c. l. i. i. ut is l. v. regnarit annos, Ninus circa annum cccviii. inierit oportet, ac ccl. ix. deserit. Annis enim regnavit l. i. Verum hoc ipso tempore, licet exiguo, majorem in modum hominum genus amplificari potuif- set, dubitabit nemo, qui id animo reputaverit, singu- lari Dei providentia factum, ut ad incrementa sobolis humanæ, atque ad orbis vastitatem instaurandam, præcipua quadam in illis fecunditas inest, quæ iustam alioquin ætatem anteverteret; ut vel à pueris ipsis, quod nonnulli suspicantur, probabile sit generandi vim illis & usum potuisse suppetere. Adde multas ab singulis uxores adjunctas, quo eodem tempore liberi plures existe- rent. Adde vivax & vegetum ætatis robur, ut ad mul- tos annos superflites essent, prolè que susciperent. Sed cum innumera ad eam rem illustrandam ac probandam argumenta suppedient, nos ut hæc tota res evidentiùs appareat, Diagramma subjiciemus, ex quo facile constet, quam numerosa soboles à Diluvio ad Ninum & Abrahamum propagari tribus ab Noëmi liberis potuerit, quæ non tantum amplissimo illi Assyriorum regno, sed & multis aliis frequentandis sufficeret. Qua in re non usurpabimus, quod nonnulli Chronologi suo jure sum- pisse videntur, jam tum à pueritia, aut ab anno ætatis x. i. i. per id tempus operam illos liberis dedisse: five etiam quotannis singulos procreasse filios, & verò gemi- nos, aut tergeminos. Unde cum vivacissimi illi fuerint, infinitus mortalium numerus brevi tempore excitari pos- suit. Sumamus id, quod nemo non ultro concefferit, ætatis anno xvii. ineunte genuisse, ita ut octo omnino singuli liberos ediderint, ab anno xvii. ad xxiv. Hoc posito, jam quantus brevi numerus existat, in unius tantum è stirpe de tribus Noëmi liberis hic typus offen- dit. Demum enim reliquas duas, vel alteram saltem ma- ribus illis, quorum series pertexitur, foeminas suppedi- tasse. Anno itaque post Diluvium octavo, Japhet exem- pli causa jam octo mares susceperat. Idem anno post Diluvium xxxi. vertente singuli, cum jam xxiv. annum exigerent, octo mares susceperant, qui rursus anno post Diluvium liv. singuli item octo susceperant; atque ita deinceps, si ad numerum annorum à Diluvio continen- tem xxiiii. adicias, numerum autem filiorum anteceden- tem per octo multiplices, tum deinde numeros omnes simul comprehendas; quoniam parentes longævi fue- runt, & cum nepotibus, & abnepotibus vixerunt, in- finitam planè summam in una dumtaxat stirpe constave- rit. Quæ quidem duplo major erit, si altera saltem ex tribus adicias; ut tertia feminis utrique sufficiens reservetur.

DIAGRAMMA propagationis hominum. Table with columns: Anni à Diluvio, Numerus filiorum. Rows include VII, XXXI, LIV, LXXVII, C, CXXII, CLVI, CLXX, CXCII, CCXV, CCXXVIII, CCLXII, CCLXXXV, Summa omnium collecta, and Duplicata.

Quocirca

Quocirca vides paulò post Nini primordia, hoc est anno circiter à Diluvio ccxv. in una stirpe mortales ex- stitisse, si cum nepotibus majores omnes superfuisset sin- gas, 1219133512. in duabus, 2438267024. Cum au- tem sub ultima Nini tempora, bellum illud cum Zo- roastre & Bactrianis acciderit, hoc est, post annum cccxxviii. nempe circa ccl. ix. enimverò multò amplio- ribus incrementis aucta soboles hominum quamlibet co- piosis exercitibus, atque imperiis par esse potuit. Abraam- i denique tempore, hoc est anno cccxii. incredibili- ter amplificatum est mortalium genus: adeò ut nihil hac quidem ex parte temporis intervallum istud laxari ne- cesse sit.

Postremò tamen regnum Assyriorum per xl. plus minus reges ad annos circiter mccc. perductum sit, non tamen toto illo spatio pristinum suum decus splendo- rémque servavit; sed paulatim labefactum, & atten- uatum in plectrice Asia partibus deficit funditus, aut nihil præter imperii umbram atque imaginem obtinuit. Proinde rara in historiis Assyriorum regum occurrit mentio. In sacris vero nulla proforsus: cum tamen Moisis, & Judicum, Regumque temporibus aliquamdiu perse- verarint. Nam qui in Libris Regum memorantur Assy- ri Principes, non ad veterem illam successionem perti- nent, quam in Sardanapalo defuisse testantur historia; sed ad alteram, quæ longo deinceps intervallo post prio- res illos extinctos, instaurata creditur, ut postea dispu- tabimus. In Græcorum monumentis legitur, Teuta- mum, sive Teutanem, qui à Nino xxvi. numeratur, Priamo adversus Græcos auxilia misisse. Quod ex Dio- doro sumpsit Eusebius. Sed temporum ratio non satis constat. Nam primus Teutami annus in Eusebiano Chro- nico incidit in annum ab Abraami ortu dcccxi. quibus si xlii. Nini, qui Patriarchæ natalem antecedunt, & Beli lv. annos addideris, consent ab initio Beli ad vi- gesimum quintum Teutami, quo Troja capta memora- tur, anni dcccxxxii. qui ab anno Periodi Julianæ 2539. quo Belus inii, putati desinunt in annum 3470. Annus illi capti est Periodi Julianæ 3530. ut suo loco demon- strabitur. Discrimen amborum anni lx. Quocirca anno xlii. Thinei, qui est à Nino vicefimus octavus, Troja- num excidium congruit. Est enim Abraami annus 895. Additis annis 97. ad Beli primordium assequendum, sunt 992. qui ab anno Periodi Julianæ 2539. deducti desinunt in 3530. Itaque annis plus minus sexaginta Eusebiani calculi decerrant, non ccxv. & eo amplius, quod falso credidit Scaliger, qui Africanis ratiocinia nimis in- fuisse ad Latinorum Chronologiam transtulit, seque ab- surdis & portentosis erroribus implicavit.

CAPUT XV.

De Aegyptiorum Regum epocha.

Q UO in originibus suis vetustati mandandis auda- ciores fuerunt Aegyptii, quam reliquæ nationes, eò fedtoribus mendacis illorum est historia omnis adper- sa. Africanus ex Manethone Dynastias eorum xxxi. re- censet, quibus annos imputat 5354. Harum Dynastia- rum seriem fragmenta Eusebiana continent. Quam me- rito repudiavit Eusebius, & in Chronicis alteram est amplexus, quæ ad annos mundi, & historicam verita- tem esset aptior. Herodotus lib. II. Aegyptiorum reges aliquot, eorumque gesta perceset; ut & Diodorus lib. I. qui ex Aegyptiorum fide memorat indigenas reges annis amplius mmmccc. in Aegypto regnasse. Sed ea gentis est fabulosa vetustas. nec minus cum veritate pugnant tot illæ Dynastie, quas ex Africano digessit Sca- liger; in quo Eusebium frustra redarguit, quòd ab illa Dynastiarum serie defeciverit. Atqui Dynastias istas confictas, & ridiculas esse tem- porum longinquitas ostendit. Porrò qui Chronologiam, & verorum temporum historiam profiteretur, Prolepticos illos, & postularitios annos omittere debet, nec ante Diluvium; multò verò minus ante mundi conditum im- perii ullius originem inchoare. quod sine ullo judicio fecit Scaliger.

Part II.

Angustinus Lib. xviii. de C. D. cap. 19.

Quamvis igitur Aegyptiacarum Dynastiarum incerta sunt initia, conjecturæ tamen locus est, eas sub idem tempus, quo Assyriorum regnum conditum est, exor- tas fuisse. Quocirca in postremis Dynastiis epocha ali- qua consideranda est, in qua ratiocinia nostra figurantur. Ea verò omnium aptissima est, Cambysis annus quintus, quo Aegyptum in potestatem redegit, paulò post Ama- sidis necem. Ad hoc enim tempus sex & viginti Dyna- stias recenset Africanus, quas annos explese dicit 5159. De Cambysis primordio postea disputabitur. Et est il- lud caelestibus observationibus apud Ptolemaum longè munitissimum. Convenit autem anno Periodi Julianæ 4185. Annus ergo quintus ejusdem est Periodi Julianæ 4189. mundi 3459. A Diluvio ad hoc tempus anni fluxerunt 1803. Quo intervallo Dynastiarum coecondenda sunt spatia. Sed detrahendi prius anni, qui Diluvium inter, & linguarum divisionem interjecti sunt. Sinto illi, ut in Assyriorum imperio constitutum 152. super- erunt anni 1650. ab Aegyptio exordio ad Camby- sis annum quintum, Perlarumque dominatum; per quos si lubet omnium, quæ apud Africanum leguntur, Dynastiarum series dispensari potest. quod ego frivo- lum otiosumque judico. De Scaligeri in postremis Aegyptiis regibus hallucinatione & inconstantia dicetur alibi.

CAPUT XVI.

Sicyoniorum Regum epocha.

SICYON urbs est in Peloponneso Isthmo & Corintho subiecta; in qua Græcia totius antiquissimum regnum fuisse perhibetur. Meminit Pausanias Corinthiacis, pag. 49. & regum seriem proponit, quæ apud Africa- num, & Eusebium existit; sed diversa nonnihil. Tamen utrobique reges numerantur sex & viginti. De annorum numero dissentiant auctores. * Calist in fragmentis Eusebianis, 959. imputat: quibus reges imperarunt. pos- tea successere Carnii Jovis sacerdotes, annis tribus & triginta. Colliguntur anni 992. At Eusebius ipse tribuit annos 967. regibus: sacerdotibus, 33. Fiant anni mille, quot Apollodorus definit. Rursus Eusebius postremum Sicyoniorum regem facit Zeuxippum, cui sacerdotem sub- jicit. Pausanias post Zeuxippum numerat Hippoly- tum, quo regnante Sicyonios invasit Agamemnon. Ad- dit & Lacedadem regem, sub quo à Dorienfibus sub- acti sunt Sicyonii. Verum Eusebius Zeuxippi mortem, & Sicyonii regni finem confert in annum Abraami 889. annis post Trojanum excidium liv. Contigit enim Tro- jæ destructio anno Abraami 835. Difficilis est in tanta ob- curitate & monumentorum inopia investigatio verita- tis. Sed ne penitus in dubio res jaceat, Sicyoniorum regno tribuimus annos mille; & ad Agamemnonem usque ejus spatium extendimus. Anno Periodi Julianæ 3530. mundi 2800. post Diluvium 1144. Trojæ destructio incidit. Regnavit Agamemnon annos xv. Decerpantur ex illis obsidioni decem; necesse est quinque primis an- nis Sicyonios expugnari. Iniiit Agamemnon anno cir- citer Periodi Julianæ 3514. mundi 2784. post Diluvium 1128. Ut igitur eodem anno, quo regnum capeffit Agamemnon, Sicyonios devicerit, ac primi illi termi- nentur anni regum Sicyoniorum videlicet 967. dicen- dum est, anno ferè post Diluvium c. l. i. i. Sicyonios coepisse, post Assyriorum exordium annis ferè xii. anno Periodi Julianæ 2548. mundi 1818.

Sicyoniorum regum laterculum Operis in calce pro- ponimus ex Eusebio, & Pausania fide. qui cum in aliis à se mutuo diffident; tum in eo præsertim, quod Poly- bo, qui vicefimus ordine censetur, Eusebium Janif- cum successorem dedit: Pausanias Adraftum. Nam Polybus Talao Argivorum regi Biantis filio Lyfianaf- sam filiam in matrimonium dedit: è qua natus videtur Adraftus. Is Argis profugus cum Sicyonem venisset ad Polybum, eidem mortuo successit. Postea tamen Argos reversus est: & Janificus ex Attica profectus Sicyone re- gnavit. At Eusebius Polybo Janificum: huic Phastum; Phasto Adraftum subtexuit. Et videtur Eusebianus

C 2 calculus

calculus temporum rationi consentaneus magis: si quidem Adraustus ille est ipse qui Polynicem & Tydem hospitio, ac filiarum nuptiis exceptit: de quo Apollodoros lib. III. Statius Thebaide. Etenim septem dum expeditio, Thebanumque bellum annis circiter 38. Trojanum excidium antecessit. Congruit enim anno Periodi Julianæ 3493. ex nostra Chronologia. Quare paucis ante annis Polynices ad Adraustum Argis regnantem sese receperat. * Secundum Pausaniam Adraustus Polybo successerit anno Periodi Julianæ 3372. circiter; ante Trojanam Ælæon, 158. At Eusebianus epilogismus idipsum refert ad annum 3422. Periodi Julianæ ante Trojam captam 108. Adraustus ergo postquam annis quatuor Sicyonem tenuit, Argos est reversus: ubi multis post annis duos illos hospites generos adscivit. Hæc fati ad Historiam congruunt. Nam ab anno 3422. ad Thebanum bellum anni sunt 71: ut longævus admodum expeditionis illius tempore fuerit Adraustus: si quidem per illa tempora diutissime vivebant homines. At ex Pausaniæ ratiociniis Adraustus tum superstes esse non potuit.

DE NATALI ABRAAMI.

CAPUT XVII.

Ortus Arphaxad, & de Cainan insitio.

ISDEM ex fontibus hujus intervalli ad Abrahamum à Diluvio ratio petitur, unde & superioris ab Adamo ad Diluvium: nimirum è sacris libris; in quibus singularumque tempora describuntur. Qua in re Græcicæ rursus ab Hebræis & Latinis codicibus discrepant. Nam ex illorum calculo 1172. anni à Diluvio fluxerunt ad ortum Abraami. Latinorum & Hebræorum rationes ad septuagesimum annum Tharæi annos putant 292. Sed non desunt qui anno isto septuagesimo negent Abrahamum ortum habuisse, sed longius natalem ejus summoveant. Quinetiam Cainan à plerisque in seriem intruditur. Ita multiplex oritur quæstio. Quæ omnia cum à Chronologis uberrimè, & interdum ad odium, & fastidium usque scrupulose perquiri soleant, nos magis ne quid præteritis videamur, quam quod necesse sit; raptim ista perstringemus. Atque hoc imprimis, quod antea dictum est, reperendum est animo: nullo ex argumento certo posse colligi, utrum qui anni Patriarcharum in scriptura numerantur, completi sint, ac verentes, an inchoati. deinde nec illud constat, ac rotundo numero usus Moyses sexcentisimum exempli causâ Noë, aut centesimum Sem usurparit, cum uno alterove plus vel minus imputandi alioqui forent. Nam utrobique consuetudo ipsa à Ælæon excludit; neque quicquam è Scripturis explorari potest. Ac denique credibilis est non omnium saltem Patriarcharum annos integros fuisse, cum genuerunt; ideoque de annorum mundi summa deducendum est potius, quam ad eam adjiciendum. Triplex porrò controversia caput est in secunda illa Patriarcharum serie ad Abrahamum à Diluvio perducta.

Primum de Semo Noëni filio dubitatur, ecquid convenit ipsum biennio post Diluvium Arphaxad genuisse, cum centum esset annorum. ut est Genes. xi. 10. Etenim cum Noë atatis anno quingentesimo tres filios genuerit, quorum maximus Sem fuit, Genes. v. 32. Diluvium autem anno Noë sexcentesimo contigerit: necesse est Sem biennio post Diluvium annum secundum ac centesimum ætatis egisse. Non desunt, qui hac ratione convicti Semum putent non primum liberorum fuisse Noë, sed secundum; ac post Japhet in lucem editum; primum autem ideo nominatum, quod ceteris ob stirpis suæ præstantiam anteposendus esset. Alii constanter negant, id ex Mosis Historia necessariò sequi; quod & probabilis reor. Enimvero nimis interdum anxia est Chronologorum industria, & in aridis istis, atque exilibus quæstionum tricis morosè confictari solet,

ac verborum omnium, imò litterarum captare minutias. Nam quid in hoc, quo de agitur, ejusmodi est, ut nove divinationis & interpretationis occasionem præbeat? Scripsit Moyses anno quingentesimo Noë genuisse Sem, Cham, & Japhet. Postulus annum expletum: postulus inchoatum accipere: postulus unum admetiri, vel alterum. Nihilominus enim quingentesimo anno, vel, ut Scriptura loquitur, cum quingentorum esset annorum, genuisse dicitur, si biennio post quingentesimum suscepit. Quod ipsum & de Sem pronunciaré licet, cum biennio post Diluvium genuit Arphaxad, centum cum esset annorum. Quamobrem vel Noë anno vertente quingentesimo, ineunte altero & quingentesimo, genuit Sem; cui annum centesimum secundum auspicianti natus est Arphaxad. Vel anno Noë quingentesimo secundo ineunte Sem genuit est, ipse verò centesimo expleto genuit. Objicitur Genes. x. 21. Japhet appellari majorem *frater Sem frater Japheti majoris*. Ita enim R. Selomoh. & Kimhius interpretantur. Sed nihil est necesse. Ac Latinus noster melius; *fratre Japhet majore*. Video & qui Hebræorum admittit constructione, ut *רבי* in gignendi casu positum sit, majorem dici putet Japhetum non Sem ipso, sed Chamo, cujus stirpem proximè descripserat.

Huic levissimæ disputationi succedit altera sanè difficilior, & haud paulò vehementius agitata, de Cainano, quem Arphaxadi filium Græci codices Genesios xi. & I. Paral. cap. 1. & Lucas ipse Evangelii cap. iii. commemorant: Hebræi verò, ac Latini Testamenti veteris codices omittunt. Si penes solos Septuaginta, & in veteri Testamento Cainan esse resideret, res esset explicatio. Idem enim de eo vocabulo posset excipi, quod de numeris præscribi solet, qui in Græcis mirum in modum redundat: nempe perperam irrepisset nomen illud adventitium; ac proinde Græcorum libros ex nostris esse castigandos. Sed Lucæ auctoritas gravior, & ut plurimum visum est, inextricabilem reddidit controversiam. Plerique Cainanum omnino inculcandum existimant, & annis triginta longius intervallum à Diluvio ad Abrahamum faciunt. A quibus ego dissentio. Quocirca neutquam ab Hebræorum & Latinorum codicum fide ac testimonio recedendum arbitror; & quod in annorum numeris accidisse modo dixi, hoc ipsum & de Cainani nomine affirmari nihil prohibet, mendosè hic insertum fuisse, atque ex priori Patriarcharum genealogia in hanc posteriorem irrepisset Librariarum errore, vel incuria. Nam quod à quibusdam temerè pronunciaré video; olim in Hebræis codicibus Cainani nomen comparuisse; gratis istud, atque eludendi gratiâ appareat esse confictum. Mea hæc itaque ratio est: quoniam is, qui ex instituto veterum Patriarcharum origines, ac *Ælæon* pertexit, Moyses Cainanum præterit, nullum ei locum in serie nepotum Noëni tribuendum. Quod enim à Mose prætermisus sit, persuadet Hebræorum, ac Latinorum, qui ex Hebræis expressi sunt, librorum consensio; in quibus constanter ille rejicitur. Ac non modo in historia Genesios, sed etiam in lib. I. Paralip. ubi eadem generationes enumerantur, abest Cainani vox, nec alibi, quam apud Græcos existat. Duo sunt quæ ab illius suffragatoribus Quæ pro Cainano solent adduci.

Alterum lxx. Interpretum auctoritas prope modum sacrosancta, & Prophetica suppar: alterum Luca haud paulò gravius testimonium, eundem illum adsciscens. Operæ pretium est videre qui ita disputant, quam constanter Græcis ipsis interpretibus faveant. Etenim illi ipsi, si ubi commodum est, septuaginta suos facessere jubent, aut eorum codices depravatos esse defendunt. In duplici genealogiarum ordine, quem ab Adamo ad Diluvium, & à Diluvio ad Abrahamum Moyses perduxit, scimus quam diversi sint Græcorum calculi ab Hebræis & nostris. Neque verò recens est discrimen istud, sed ab antiquissimis notatum Scripturis; ut proinde mendis nonnullis levis possit esse suspicio. Hic illi, qui Græcos Interpretes tanti faciunt, & Prophetas appellat, ab eorum rationibus discedunt nihilominus, eaque falsas, & conturbatas esse non dubitant. Quare cur non idem & in Cainani no-

Retellitur minetur.

* Sic hunc locum emendabat in suo Codice Petavins secundum Pausaniam, si annos ex Eusebii calculo putemus; alioqui licet aliter ordinare. Polybo successerit Adraustus. Hic Argos abiit, & ei successit

Sicyone Janiscus, annis 42. Periodi Julianæ 3472. Zeuxippus 3470. Periodi Julianæ 3470. Verum secundum Pausaniam Adraustus Polybo &c.

mine usurpare nobis liceat, & Græcis illis codicibus Hebræorum, ac vulgatæ nostræ Editionis auctoritatem præferre? Præsertim cum plerique ex istis Cainani Græcorumque propugnatoribus, Moysen fateantur consultò Cainanum præterisse. Quod ideo factum ab illo putant, quia decem in singulis ordinibus capita numerare decreverat. quemadmodum Matthæus, cum per tessera sedecim intervalla digereret, tria in secundo nomina prætermisit. Jam hoc vehementissimum nobis argumentum ista ipsa de Moysæ confessio suppeditat. A quo enim tutius historia veteris, ac Patriarchalium originum veritas exquiratur, quam ab unico illo, & quidem sacro, & omnium antiquissimo Scriptore? De Matthæo quod opponitur, perleve est. Non enim ob eam causam, quod xiv. in singulis spatiis, nomina confectaretur, tres ab illo reges omitti sunt. sed ob singulare quoddam mysterium: quoniam per fida, & aliena stirpis ad tertiam, quartamve generationem propagandum erat piaculum ut Ambrosius, Hilarius, alique Patres interpretantur. Quocirca nihil admodum causam illorum septuaginta Interpretum fides sublevat. Unicum proinde in Lucæ auctoritate præsidium superest. Contra quod illud imprimis potest excipi: ab Hellenisticis Christianis in Lucæ contextum eadem inculcatum esse licentia Cainanum, quæ & in lxx. Seniorum editionem prius irrepererat. Nec de vetustate lectionis, aut Græcorum ac Latinorum exemplarium integritate præscribi conjecturæ isti potest. Quod enim antiquius, quam quod vulgò apud Mattheum in Christi genealogia hodièque legitur; *Josias autem genuit Jechoniam, & fratres ejus* &c. Atqui mendosum hunc esse locum primi veteres animadvertunt: recentiores non approbarunt modò, verum etiam fugitivum nomen inferuerunt. Quippe cum ex Historia Regum, & Chronicis evidens sit, Josiam genuisse Joacim, Joacim autem Jechoniam. Epiphanius qui Joacimum Jechonia appellatum vocabulo cum plerisque credidit; ita Matthæum recensuit. *Josias autem genuit Jechoniam, Jechonias autem genuit Jechoniam, &c.* Nostri non dubitant, quin Joacim potius substituendus sit, quam Jechonias. Id quod ego in vetustissimis membranis Catenæ Græcæ ex Christianis. Regis Bibliotheca adnotatum ad marginem reperi; hoc modo. *Ἰωακίμ ὁ ἐβραίων Ἰακώβου. Ἰακώβου ἢ ἐβραίων Ἰεζονίου.* Verum ne hoc quidem contenti eruditi illi Interpretes, amplius immutandum existimant, atque ita legendum: *Josias autem genuit Joacim, & fratres ejus in transmigracione Babylonis. Joacim autem genuit Jechoniam, &c.* Nisi ita malis: *Josias autem genuit Joacim, & fratres ejus. Joacim autem genuit Jechoniam in transmigracione Babylonis.* Nam Babylonicæ deportationi propior est Jechonia, quam Joacimi generatio: primè, inquam, illi, quæ Joacimi quarto anno contigit. Sed hæc aliâs, quæ idcirco à me paulò fufius commemorata sunt, ut ne mirum, aut incredibile cupiam videatur, * si Cainani nomen ex lxx. corruptis libris in Evangelium Lucæ redundasse suspicemur. Quod nisi quis uti ista defensione velit. at est obvia & perspicillè explicanda rei ratio, quam Interpretes, & Chronologi multi, viri graves, & Catholici jam pridem secuti sunt: velut Janfenius cap. xiv. Concordiæ, & Genebrardus; nec improbat Pererius. Cum enim Lucas Græcorum præcipue, sive *ἐβραίων* in gratiam Evangelium institueret, non debuit aliunde, quam ex ipsorum libris, Patriarcharum origines, successionesque prodere. neque propterea falsitatis culpam Evangelista sustinet, qui hoc, quod in eorum libris reperit, ipsorum causâ transcripsit. Poterat enim eodem jure & annorum numerum, quibus Patriarchæ singuli vixerunt, ex eorumdem Septuaginta commentariis adscribere. Quod si fecisset, non propterea Hebræorum ac Latinorum calculis Græcos anteposendos esse prudens quispiam crederet. An si corruptum illum Matthæi locum Paulus, aut alius ex Apostolicis, sacrisque Scripturis usurparet, quod Patres omnes postea fecerunt, ideo sanum illum, & integrum esse præstare oporteret, atque aut à Josia genitum Jechoniam putarem, aut generationes à deportatione Babylonicæ ad Christum quatuordecim reperiri, cum sint

non plures quam tredecim? Ac vide quemadmodum illi eandem in rationem, defensionemque nostram imprudentes incidant. Legi apud quemdam acerrimum Cainani propugnatorem, cum is Hieronymum, & Vulgatam nostram editionem ab erroris suspicione vindicaret, quod in ea Cainan esset omisus, excusationem ejusmodi. Divum Hieronymum affirmabat, quoniam ex Hebræo fonte vertebat, omittere debuisset, quod in Hebræis codicibus non repererat. Idem & de Epiphanio, quod erat à Cainani oppugnatoribus obiectum diluens. quoniam ille in Melchisedecianis Patriarcharum genealogiam exscribens, Cainan præterisset, ita respondet; Prudenter Epiphanium eo loco prætermisisse Cainan, quandoquidem adversus Samaritanos res illi tum erat, quorum in codicibus desiderabatur. Præclarè. Transferamus hoc igitur ad Lucam utrumque; & inferi ab eo Cainan oportuisse dicamus, quem illi ipsi, unde hauserat, libri continebant; neque propterea culpandum esse; sed prudentiam potius in eo laudandam, quod se ad eorum, quorum in gratiam ista prodebat, usum, captumque demiserit.

CAPUT XVIII.

Quoto anno Tharæi genitus sit Abrahamus. ubi septuagesimo id anno factum docetur.

NOVA est ista quæstio, quatenus annum illum Tharæi, qui à Moysæ disertis verbis expressus est, in dubium revocatur: sed difficultas pervetus. quam ita Patres omnes antiqui explicare conati sunt, ut pro certo, & indubitato ponerent, Abrahamum anno parentis sui septuagesimo ortum habuisse. Nihil enim clarius, aut expressius fingi potest, quam quod Genes. cap. xi. com. 26. legitur; Thare, cum septuaginta esset annorum, Abraham genuisse. Propterea nemo veterum, qui quidem aliquo numero esset, aliter unquam id accepit, aut vel tenuissimam suspicionem habuit, anno cxxx. Thare Abrahamum in lucem exisse. Quod ne contrariæ quidem partis auctores inficiari audent; imò ultrò fatentur, se ab communi Patrum, & Interpretum opinione discessisse. Magnum utique præjudicium in tanto vetustatis consensu & auctoritatis non modò gravitate, sed etiam copia: atque eo sanè vehementius, quod ab iis ipsis agnoscitur, qui in plerisque temporum, annorumque quæstionibus sententiarum suarum momentum in auctorum numero ac multitudine collocant. Quare antiquos omnes, ac recentes, magnos ac minutos Scriptores; Catholicos & Hæreticos, doctos & indoctos, qui idem secum sentiant, percensere solet; & nonnumquam ad contrariam invidiam partium, Hæreticorum in eas conspirantem sententiam derivant quasi Chronologicis istis in rebus nefas sit id sentire, quod ab Hæreticis non ipse didiceris, sed ab antiquis illi traditum, aut ex evidenti Scripturæ testimonio deducum amplexi sint. Hac verò in controversia cujusmodi tandem istorum sensus est, qui meliores profectò partes, & antiquitatis suffragio commendatas Hæreticis ultrò prodiderint?

Verumtamen Scripturarum se necessariis auctoritatibus constringi putant, quo minùs lxx. Tharæi patris mensura anno natum Abrahamum sentiant. Nam Genes. xi. 14. opinio est Haran, sive Charran profectus est in Chananæam. Thare Porro vixit Thare annos ccv. cap. xi. 32. Initio cap. 13. pitis xii. post parentis obitum Abrahamus in Chananæam abiisse dicitur. Quinetiam Actorum vii. 4. Stephanus narrat Abrahamum post mortem Thare à Deo translatum esse. Ex iis consequens videtur Abrahamum natum esse Tharæi patris anno cxxx, ut sub eius obitum, quando migravit in Chananæam, annos habuerit lxxv. Atenim cap. xi. 26. Thare anno lxx. genuit Abram, Nachor, & Aran, adeoque maximus natu Patriarcha anno septuagesimo genitus est. Respondent Abrahamum primo loco commemoratum, non quod

C 3 atate

* Boda, in vetustissimo Codice testatur vocem *Kainan* non fuisse. Petavins.

† Hieronymus Quæst. Hebr. col. 1243. ita ferè respondet, quod Lucas Act. vii. animas 77. cum Jacobo descendisse refert.